B. N. C.
FIRENZE
1120
5

1120.5

Digitized by Google

PEREGRINATIO
BONORVM SPIRITVVM
AD IMPETRANDAM

confirmationem veri ſtatus Religioſi, ac præcipuè Canonici,

QVI SVB TITVLIS SEPTEM declaratur, iuxta ſeptem Eccleſias, in alma Vrbe priuilegio donatas.

AVCTORE D: IOANNE BAPTISTA SIGNO, Bononienſi, Canonico Reg. Ord. S. Auguſt. Congreg. Saluatoris, & Cathedralis Eccl. Ferrarienſis, Lectore ordinario.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

FERRARIAE,
Apud Benedictum Mammarellum. 1592.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
DOMINO CLEMENTI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ OCTAVO.

BEATISSIME PATER

QVOD ante mille annos,& vltra,Sanctiſſimi Patres,qui ſanguine,& doctrina Chriſti Eccleſiam decorarunt, inter ſingultus, & lachrimas lamentabantur, ingẽs hoc Mundi corpus,iam ex tunc propè ſenio confectum: Nos certè deflere poſſumus, vti lãguidum, & iam iam moribundum; vtpotè qui ſigna, quæ periturum Orbem anteceſſura prædixit vnigenitus Dei filius, qui momenta nouit, & tempora, & qui ſolus cum Patre, & Spiritu Sancto, de die illa nouiſſima nouit, vidimus iam, & quod longè grauius eſt, dolentes cernimus, multorum refrixiſſe charitatem, & abundare iniqui-

tatem. Heù beatiſſimè Pater, nonne ſi reuiuiſcat Hieremias, & totius Eccleſiæ ſtatum, eorum verò præſertim, qui cæteris exemplo, ac documento eſſe debuerant, diligentius contempletur, inconſolabiliter ploraturum, & chriſtianorum primordia cum miſerrimis hiſce temporibus conferentem, dicturum putamus? Viæ Syon lugent, religioſi ſcilicet, conuentus, quibus veluti vijs ad cœleſtem Syon tendere debuerant homines, eò quod non ſint, qui veniāt ad ſolemnitatem, quòd ſcilicet pauci per eas incedentes, ad cœleſtes perueniant feſtiuitates; quia omnes portæ eius deſtructæ, ſacrarum ſcilicet legum obſeruantia, qua veluti porta in offitio continebantur olim religioſi, deperijt. Sacerdotes eius, ſanctiſſimi inquam viri illi, Baſilius, Benedictus, Auguſtinus, Dominicus, Franciſcus, & huiuſmodi gementes, eò quòd in ijs, qui ipſorum adhuc retinent nomen, vix præter habitum, quidquam reperiant: Virgines eius ſqualidæ, religiones inquam ipſæ, quæ licet tepidos (vt honeſtè dicam) intra ſe religioſos contineant, virgines tamen ipſæ ſunt, & macula non eſt in eis: Ipſa denique vniuerſalis Eccleſia, communis omnium mater oppreſſa iacet amaritudine. Sed numquid obliuiſcetur Dominus in perpetuum? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? O quàm bonus eſt Dominus. Certè ſi hactenus cum Propheta doluimus, dicere tamen non poſſumus de miſtica noſtra Hyeruſalem, quòd non ſit, qui conſoletur eam. Te enim clementiſſimum conſolatorem nacta, veluti paracletum de paracleto iam reſpirare, iam vires reſſumere cernitur, & in ſpem certiſſimam venire, fore, vt te rectore, te duce, priſtinam viuendi

ſancti-

ſanctitatem, ac morum pietatem recuperans, obmuteſcere faciat omnes, qui iam ipſi compatientes dicebant. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Nemo enim non videt aurum per te Sanctiſſime Pater iam denuò ſplendeſcere, coloremque illum naſcentis Eccleſiæ ita reuiuiſcere, vt breui tempore talis futurus ſit, vt ij etiam, qui ex aduerſo ſunt, videntes religioſorum in primis bona opera, aut glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt; aut certè confundantur, & obmuteſcant. Benedictus Deus totius conſolationis, qui conſolatus eſt tàm opportuno Paſtore bonos ſpiritus ſuos, ipſum timentes in omni tribulatione eorum. Celeberrima toto orbe pietas Sanctitatis tuæ quàm plures bonos ſpiritus Romam inuitat, vt Religioni tuæ, tamquam Soli in Zodiaco, magis appropinquantes, vberrimos tuos in ſeſe recipiant influxus, tuaque benedictione protecti ampliſſimas illas Romanas Baſilicas viſitantes, innumerabilium ſanctorum, quorum in eis ſacra pignora ſeruantur, precibus, de religione tua, religioſè viuendi normam addiſcant. Hos ego eò lubentius ad ſanctitatis tuæ pedes direxi, quò me illi gratiſſimam rem facturum exiſtimaui, cum vndequaque fama percrebuerit huiuſmodi ſpiritus, vndique à te ad id nuper euocatos fuiſſe, vt propè labentis religionis forma reſtituatur. Ignoſcat ſanctitas tua ſimplicitati meæ, ne dicam temeritati, & non ſcribentis imperitiam, ſed ardentem mei contempletur affectum, qui interim Deum enixè precabor, vt ad multos annos clementia, & pietate tua Eccleſiæ Dei frui liceat:

Vale.

Ex noſtro Monaſterio Sanctæ Mariæ à Vado, Ferrariæ. 13. Kalen. Septembris. M. D. XCII.

Sanctitatis tuæ

Humilima creatura

Dominus Ioannes Baptiſta Signus Bononienſis Canonicus Regularis Congregationis Saluatoris.

PERE-

PEREGRINATIO BONORVM SPIRITVVM AD IMPETRANDAM confirmationem veri ſtatus Religioſi, ac præcipuè Canonici,

QVI SVB TITVLIS SEPTEM declaratur, iuxta ſeptem Eccleſias, in alma Vrbe priuilegio donatas.

BONI SPIRITVS, & RELIGIO SANCTA.

S*ALVE Mater pijſſima ſalue.* BB.SS.

Mundi Saluator ipſe vos bene- R.S.
dicat, & ſaluet ſemper, Filioli omnium lectiſſimi, omniumque mihi iucundiſſimi. Et quid eſt, quòd Romam concordi voluntate nunc maximè conueniſtis?

Et noſtræ deuotionis gratia, & potiſſimum tui deſi- BB.SS.
derio videndi. Nihil præterea decentius nos facturos arbitrati ſumus. Etenim ſi ex vltimis orbis terræ fini-

bus, vel poſt annos aliquot, vel ſemel in omni vitæ curſu, & Græci, & Armeni, & Indi Sacerdotes, huc iter arripiunt, vt Eccleſiam Romanam parẽtem Fidelium omnium optimam, & Paſtorem chriſtiani gregis maximum inuiſum, ſalutatumq́ue veniant: Aequum profectò eſt, vt nos quoque, qui in Italia, atque adeo in ipſo penè Eccleſiæ Sanctæ gremio ſedemus, huc aliquando accedamus Romæq́; ac Pontifici animos noſtros, ad omnes pro Eccleſia Catholica ſuſtinendos labores paratiſſimos indicemus. Romam concedant, oportet, viri Religioſi ad ſacros ritus, aut corrigendos, ſi ſint deprauati; aut reſtituendos ſi collapſi; aut augendos, ſi imminuti; Id quod malorum improbitate, & bonorum negligentia perſæpè videmus accidere, & conquerimur. Cum igitur in vero ſtatu ſuo conſeruare ſe procuret Canonicorum noſtrorum cœtus, quò potius confugere debemus, quam eò in primis, vbi ſunt excellentiſſimi, ac potẽtiſſimi Moderatores, qui poſſint, quòd valeant auctoritate: qui velint, quod bonitate præſtent? Nos perinde fecimus, ac illi qui graues morbos reformidãt, quos vt præcaueant, atque declinent in medicorum conſpectu eſſe ſtudent; eadem omninò de cauſa nunc ventum eſt à nobis Romam, quam vnam Ciuitatem, & ſacrarum, & ciuilium rerum moderatricem ſapientiſſimam omnes populi, omnes nationes, omnia regna ſibi meritò, & antea, & hoc tempore propoſuerunt.

Nos

Nos hic familiæ totius noſtræ præfectos, moderatoreſque habebimus, de quorum conſilio, & auctoritate, ſi qua ſint mala, tollantur; ſi qua deſint bona, inducantur. Hic Clementem Octauum Pontificem Maximum, quem tàm bene in regularem obſeruantiam animatum iam nouimus, vt non præclarè minus hic de ea, quàm olim Clemens Primus, meriturum eſſe putandus ſit.

Cum verò ſoleant amici, & affines, cum de amicorum, & affinium ſalute, exiſtimatione, ac dignitate agitur, non ſolum eorum calamitatem conſolando leuare, ſed eis etiam fortunas, liberos, ſanguinem denique ipſum polliceri: id prolixius faciendum eſt, cum Reſpublicæ, & earum Principes in ſummum, aut amplitudinis, aut capitis diſcrimen vocantur; quibus euerſis, & extinctis, cæterorum interitus ſequatur, oportet. Propterea nos, Mater optima, Romã conuenire maximè ob hanc etiam cauſſam debuimus hoc tempòre, non ignorantes, quanto in diſcrimine ob turbulentiſſimos hæreſum fluctus, & ſeuiſſimas chriſtiani nominis hoſtium incurſiones Petri nauicula verſetur, vt communia bona, & vitam ipſam ſummo, ac ſanctiſſimo Gubernatori lætis animis, & propenſa voluntate deferamus, eòque magis, quòd præſens periculum religioni addictos homines in primis attingit. Hæ ſunt igitur cauſæ præcipuæ, quibus Romam conceſſimus.

R.S. *Nihil ſanè, vti ego ſentio, accommodatius, nihil quidem, vt ipſi dixiſtis, decentius fieri vnquam poterat. Quod autem facere conſueuerunt optimi, ac religioſiſſimi chriſtiani, cum primum Romam quauis de cauſſa peruenerunt (ſeptem enim Eccleſias priuilegio donatas, ſumpta, poſt confeſſionem, Euchariſtia, piè adeunt, vt, & exoptatam conſequantur peccatorũ veniam, & Deo fauente, felicem ad exitum negotia ſua perducãt) illud vobis etiam faciendum ſtatuo (filij cariſſimi) vt ſcilicet omnes ſolemni pompa, atque ordine ipſas ſeptem Eccleſias inuiſere velitis. Vos ipſa comitabor libentiſſimè, ac orationis argumentum ſuppeditabo per viam, vt minus moleſtiæ ex hoc itinere capiatis, oſtendamq; obſeruata locorum ratione, ſingillatim ea omnia, quæ in veſtra regulari diſciplina, & canonicorum forma neceſſario ſunt attendenda, ſi ex legibus, & ex Dei voluntate, ac totius veſtri Ordinis vtilitate perficienda ſint.*

BB.SS. *Ita obſecrò, nec optatius nobis quicquam accidere potuiſſet. Eamus.*

R.S. *Primum omnium meminiſſe debetis, Vos in Cænobium Diui Petri in Vinculis conueniſſe, hoc eſt Canonicos eſſe Regulares, religionis vinculis adſtrictos, magis, quàm ſeculares, & magis, quàm alios Regulares, quod nil aliud notat, niſi vos eſſe oportere religionis obſeruantiſſimos, & virtutis ſtudioſiſſimos, quam ſectantes,*

etiam

etiam Romanorum exemplo, quibus imperantibus, Romæ paſſim litteris aureis ſcriptum legebatur, VIRTVTE DVCE. Conſcendimus poſteà

IN VATICANVM AD PRIMAM BASILICAM DIVI PETRI, qui petra prima eſt chriſtianæ ædificationis, & fundamenti in Chriſto, filijque Dei Vicarius. obedientem ſignificat. quòd Religionis fundamentum eſt obedientia. Idcirco de hac in primis habendus eſt ſermo. Complures enim ex Religioſis hanc neſcio quomodo virtutem obliti videntur: Nonnulli inuiti retinent: Alij verò ita ineptè tuentur, vt ſplendorem ſuum in clauſtris minimè oſtendat. Hic non petam, vt me loquentem attentè audiatis, non vt eo animo, ne quid eorũ omittatis, quæ vobis dictura ſum: Parens enim cum ſim veſtra, cumque commodis veſtris, ac dignitatibus conſulam, attentionem, & in quacumque re obſequium, nulla alia poſtulatione, comparare mihi videor. 1.Eccl.

DE OBEDIENTIA.

OBedientia prius fuit, quàm Congregatio vlla, immo hæc Mundi machina, etenim Mundus, qui erat in mente Diuina, Ideaque Dei, diuino iuſſu cepit eſ-

ſe, & materies parere, in ſuaque abire loca. Patet omnia creata in quadam eſſe naturali obedientia, quia Planetæ naturaliter obediunt motui Firmamenti. Mare naturaliter obedit influentiæ Lunari. Generabilia, & corruptibilia pariter obediunt motui, & influentiæ Solari. In omni denique rerum genere conſtituit Deus res quaſdam ſuperiores, atque excellentiores, quibus obedire cæteras voluit inferiores: Sic proculdubio etiam inter homines Natura, & naturæ ipſemet Deus quoſdam ordinauit ſuperiores, quibus parere cæteros voluit omnes, ac ſeſe per ipſorum motus, & ordinationes regere. quod & docet Apoſtolus ad Romanos 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. In Adam quidem, vel à principio figurata eſt obedientia, inquit D: Pater Auguſtinus lib. de nat. boni: cap. 35. cum ſtatim creatus præceptis obedientiæ fuerit ligatus, & obſtrictus: non obediendo autem de paradiſo fugatus. Non prohibuit Deus hominem tangere arborem, tamquam mala eſſet, ſed vt oſtenderet, animæ rationalis naturam, non in ſua poteſtate, ſed Deo ſubiectam eſſe debere, & ordinem ſuæ ſalutis cuſtodire, per inobedientiam verò corrumpere. Ideo eam appellauit ſcientiæ boni, & mali, quia eam, cum contra vetitum tetigiſſet, experiretur pœnam peccati, & eo modò dignoſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum.

Obe-

Obedientia peperit hominum communionem, qua alter altero fruimur, & alteri prodeſt alter. Hinc ciuitatum commertia. hinc negotia. hinc mercaturæ, nauigationes, ac tandem huius orbis ornatus. Obedientia efficit, vt homo, verus ſit homo, parere eſt enim nil aliud, quàm appetitum rationi ſubijcere, aut voluntatem ſuam ad aliorum honeſtam voluntatem adiungere. Ac nulla quidem in re homo fortitudinem animi, & magnanimitatem magis oſtendit, quàm cum ſe ipſum comprimit, appetitibus cum ratione pacatis. Quod quò facilius ab ſe ipſo impetrat, eò præcioſiore corona eſt dignior.

Quod autẽ ad alteram partem attinet, vt quis voluntatem ſuam alterius honeſtæ voluntati accommodet. Ecquis bonus eſt vir, qui non idem appetat, quod vir bonus? eundem enim finem communem habent, eumq; ipſum intuentur; non aliter ac ſi duo ſagittarij eodem manuum motu tela vibrent, ferirent enim eundem ſcopum. Atque hæ ſunt partes obedientiæ, quibus maxime in vita ad publicam vtilitatem, & commodum egemus.

Obedientia in primis conſtituit religioſum, qui ſe ipſum debet, & alterius imperio collum ſubmittere, Saluatoris exemplo, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & ſuo exemplo nos vocat. Si quis vult venire poſt me, abneget ſe metipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cum religioſus vir ſe ipſum abnegat, om-

nem aufert dominandi cupiditatem, quæ ab vno ſui ipſius amore proficiſcitur. Libenter ac ſpontè paret omnibus: nihil laborat, ſi minus imperet, nec ægrè præſtat obſequium, tamquam id quoque magnanimi non ſit animi, illud exiſtimans ſe ex obediendi ratione fructum referre vberrimum, ac non eſſe poteſtate dominante, ſed caritate ſeruiente felicem.

Itaque veſtrum eſt (Filij cariſſimi) Deo primum, Euangelio, Regulæ, Conſtitutionibus, Concilijs, & Pontificum Diplomatibus obedire: deinde Magiſtratuum veſtrorum inſtituta ſubire, atque obtemperare mandatis. Omnis enim poteſtas à Domino Deo eſt, &, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, ſibique damnationem acquirit. Præpoſito veſtro, tamquam patri, obediatur, dicit Regula, multò magis presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit. Obedite igitur præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. concludit Apoſtolus. ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.

Inobedientia ſeminarium eſt diſcordiarum, iurgiorum, bellorum, hæreſum, & imperij, ſtatuſque humani mutationum.

Quod ſi ſit aliquando, vt iniquos nacti ſitis Magiſtratus, ac Præſides, exiſtiment, quibus eſt parendum, hanc eſſe eorum crucem, cum eiuſmodi hominibus obſequi debeatis. Fit enim plerunque diuinitus, vt ij ſint in

imperio ad puniendos malos pro aliquo turpiter commiſſo ſcelere, vt olim Romanis tradita ſunt monſtra illa Cæſarum, qui nimiam eorum elationem pœnis irrogatis deprimerent. Unde & vos magis obediendo, dicit Regula, non ſolum veſtri: ſed etiam ipſorum miſeremini, qui inter vos, quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſantur.

Hic igitur in Diui Petri, cui, & ei legitimè ſuccedentibus à Chriſtianis omnibus, ſed à Religioſis præcipuè debetur obedientia, demiſſi, & innixi genibus; pio animo eius apud Chriſtum patrocinium implorate, vt vobis dono det obediendi ſpiritum ad hanc peregrinationem profectis, & omnibus ſimul, qui hinc abſunt, fratribus veſtris.

PRÆCATIO.

DEVS qui in filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſione humano generi obedientiæ exempla præbuiſti, concede nobis Principis Apoſtolorum interceſſione, & noſtræ voluntatis prauitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. BB.SS.

Hinc recta via ex vrbe egrediemur per Hoſtienſem portam. R.S.

2.Ecc. AD BASILICAM D: PAVLI DOCTORIS GENTIVM.

SCIENTIA enim doctrina, & diſciplina arctioribus vinculis, quàm quod vis aliud, animos hominum obſtringit, obſequenteſq; ac virtuti deditos reddit. Hic ego laudibus commendare non aggrediar ſcientias, & litteras, ſunt enim per ſe ipſæ adeò commendatæ, vt nullius omnino cõmendationis indigeant. Totq; adhuc ac tantos habuerunt, & apud nos & apud Priſcos ſui laudatores, vt ſine magna impudentiæ nota fieri non poſſe, putarem ſi ipſe nunc in tot præſtantium virorum numerum conijcere me vellem. Hoc ſit ſatis, quod viri ſapientes, & litteris ornati, quouis tempore ſummâ ſemper in exiſtimatione apud poſteros fuerunt.

DE STVDIIS.

TYrones igitur veſtri tum ad virtutem, tum ad bonas artes informentur, ad eas intelligo, quæ liberales appellantur, vt inde, quaſi per gradus, tamquã ſcalam Iacob aſcendant, & euehantur. Ii autem eius ſint ætatis cum ſacras haſce ueſtes induunt, vt anno confecto, id

quòd

quòd ex Concilio Tridentino elicitur, profiteri poſſint.

Ad Canonicorum numerum adſcribantur, non qui vos affinitate attingant, ſed qui & ingenio, & eruditione excellant. Non qui vobis ſint præſtantium virorum auctoritate, & litteris commendati, ſed qui honeſto loco nati, & honeſtè, pudiceque ſint educati.

In tradendo verò ornatu, Conſtitutiones veſtræ, omnino ſeruentur, vt litteras humaniores optimè teneant. Collegia verò veſtra & moleſtias ſuſtineant moleſtiſſimas, & impenſas faciant grauiſſimas, vt ij in litteris egregiè inſtituantur.

At qui hoc tempore religionis iugum iam ſubierunt, ij religiosè doceantur. omittantur Tullius, Virgilius, Terentius: eorum ſit lectio præcipua, & quotidiana Cathechiſmus: Epiſtolæ D: Hieronymi: Orationes D: Gregorij Nazianzeni, & huius generis alia per multa, vt vna cum eleganti latinitate res diſcant ad ſuſceptum munus cum dignitate exercendum admodum neceſſarias.

Lectiones verò, quæ ad augendam pietatẽ pertineant, eæ ſumantur, quæ doctrinam Chriſtianam, vt Concilij conſilium eſt, tradant. Examen ordinandorum, Concilia, Miſſæ explanationes, Rationale Diuinorum Offitiorum præ manibus habeant. Iuuenes enim ex ijs libris eos capient fructus, qui & illis, & alijs plurimum in omni vita profuerint.

Canonicum ſtudium commune ſit omnibus, primumquè, ac præcipuum, vt non nomine tantum, ſed re etiam Canonici vocemini. Ac propterea decernendum eſt, vt præſertim huius ſtudij generis perpetuos Lectores, atque interpretes vbicunque habeatis. Hoc veſtrum eſt proprium. Hoc lumen affert ad vim Regulæ veſtræ intelligendam, & Conſtitutionum obſeruantiam, Capitulorum, & Generalium, & Priuatorum, ordinationum, actionum denique omnium, quæ in his ſuſcipiuntur. Hoc ſanè partim ad res diuinas, partim ad humanas valde profuerit. Hinc enim fient Præfecti & Procuratores excellentes ad tuenda Collegiorum veſtrorum iura: Cumque Bullæ Pontificiæ promulgabuntur, vos ipſi, quid ipſæ velint, cognoſcetis, nec opus erit, vt ad alienam operam ignari confugiatis: quin ipſi veſtram alijs tribuetis. Quod ſi occaſio ferat, vt aliqui crimine aliquo in capitis periculum arceſſantur: ſi libelli quæſtionum erunt contexendi: ſi proceſſus formandi, ſi ferendæ ſententiæ, ſcietis quid æquitas, quid ius exigat, cum hac tempeſtate in eiuſmodi rebus nihil planè effici queat, quod non iubeant conſtitutiones. Huiuſmodi autem rerum cauſa eſt hominum improbitas, & corrupti mores. Sola obedientia non valet, opus eſt & ſcientia. Patefacto igitur ad rectam viuendi formam aditu, fores quoque aperiantur ad ſtudia. Canonici enim tunc læti huc conferent in-

genia ſua. Hac in re idem acciderit, quod vere primo, cum ſpirantibus Zephyris, flores ſeſe oculis hominum oſtendunt. Tunc apparebunt igniculi ad gloriam inflammati, qui tam vigilem ignem in pectoribus excitabunt, vt mali mores euellantur: exoriantur boni; Ac nunquam (vt eſt in Fabulis) tot armati homines ex Draconis dentibus ab Heroe illo Cadmo ſatis, coorti ſunt: quot præſtantes viri breui temporis ſpatio conſurgent, quaſi ex graui Lethargo excitati, & ex ignaui pigritia ad honeſtum laborem impulſi. Ex his quaſi ex propagine quadam, alij deinceps prodibunt, illuſtres viri, & omnibus exculti virtutibus. Hic florere cernentur ſcientiæ omnes, omneſque nobiliores artes, quæ pro ſtudioſorum captu, & ingenij ſolertia, voluntatumque propenſione exercebuntur. Alij enim eas excolent otij euitandi cauſa: alij offitij: alij commodi: alij voluptatis: alij ornamenti, & ſui, & Religionis gratia: Nonnulli ad ſalutem animarum, ad gloriam Dei, & ad ſplendorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Verum quia honos alit artes, eos omnes, tamquam in ampliſſimum Oceanum contrahetis, qui aliquam adepti virtutem ab hominibus coluntur, & obſeruantur. Nobilitas, amplitudo, magnificentia vniuerſa in vna virtute ſita, & locata eſt. Idcirco apud veteres tot inuenta ſunt præmia, quibus fortes, & ſtrenui viri affecti ſunt,

vt glo-

vt glorioſa, atque immortalia eorum geſta hac mercede cohoneſtarentur. Hinc factum eſt, vt multæ eſſent coronæ apud Romanos, Triumphalis, Ciuica, Muralis, Obſidionalis, Oualis, Naualis. Multa eſſent munera, monilia, torques, Annuli, ſtatuæ, imagines, ſimulacra, quæ omnia ſymbola, erant æternitatis, & gloriæ. Hac ipſa de cauſſa nobilia inuenta ſunt inſignia, ornamentaque, quibus ſummi viri donarentur, & quibus excelſas cogitationes ſuas oſtentarent.

Quamobrem, & vos filioli animaduertere potiſſimum debetis, quibus honoribus, quibus præmijs, quibus ornamentis virtute præditos afficiatis, vt ad virtutis amorem cæterorum animos eò magis accendatis.

De ſtudiorum ratione, de contrahendis ad ſummam quandam ſcientijs, de honore litteratis hominibus tribuendo hactenus dictum ſit in D: Pauli Doctoris gentium.

PRÆCATIO.

BB.SS. *TV Sancte Apoſtole Paule, quod nequit Oratio noſtra, tua impetret apud Chriſtum Dominum noſtrum interceſſio, vt nobis ille donum ſapientiæ tribuat, qui æterni patris æterna eſt ſapientia.*

R. S. *Quia verò vniuerſa Diui Pauli doctrina de Charitate fuit. Hinc.*

AD LATERANENSEM BASILICAM DIVO IOANNI DICATAM. 3.Ecc.

RECTA *uia concedamus, ac ibi de charitate verba faciamus. Is enim hanc vnam virtutem, & Paulum, & complures alios docuit, quos cum huiuſce lectionis ſatietas aliquando cepiſſet, petijſſentquè, cur nulla vnquam de alia virtute ageret. reſpondit. Præceptum Domini eſt, quod ſolum ſi fiat, ſufficit.*

DE CHARITATE.

B*Aſilica hæc iure optimo eſt Summi Pontificis, atq; totius terrarum Orbis prima, quòd charitas prima, & præcipua virtus eſt, & quæ accuratius à Chriſti Vicario obſeruatur, quòd Deus charitas eſt ipſa. Hæc veras conflat ſocietates; hæc perficit religionem. Charitas quaſi cara vnitas. Vinculum perfectionis eſt charitas. dicebat Apoſtolus. Huic ſe adſtrinxit Chriſtus Dominus noſter. Hæc vos religioni obligat. Voſque ſibi ſuos filios efficit. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, inquit Ioannes, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Iubet charitas, vt omnes actiones noſtras ad hos tres fines dedu-*

camus,

camus, ſcilicet, ad gloriam Dei patris noſtri : ad ſalutis appetentiam: ad beneuolentiam, & vtilitatem proximi. Hæc in Regula Diui Patris veſtri Auguſtini expreſsè notantur. Ante omnia fratres cariſſimi diligatur Deus: deinde proximus; quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data : hæc ſunt, quæ vt obſeruetis, præcipimus, in monaſterio conſtituti.

Sita eſt gloria Dei in cultu animi, & obſeruantia corporis: itaque omni ſtudio, & amore dabitis operam, vt eum in Diuinis Offitijs, Miſſis, & ſacris Ceremonijs in Eccleſia colatis, ne tranſuerſum quidem vnguem à Rubricis noui Miſſalis, & Breuiarij, & prout in libro de Ceremonijs eſt ſcriptum, præceptumquè diſcedentes. Preces, Hymni, cantus, hæc cum pietate, & moderatione pronuntientur, ſunt enim apud Deum, & cum Deo, Diuiſque cælitibus. Quod vtique & Regula iubet. Orationibus inſtate horis, & temporibus conſtitutis. Pſalmis, & Hymnis, cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore, Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum: quod autem non ita ſcriptum eſt, vt cantetur, non cantetur.

Sacramenta ſumma cum dignitate, & maieſtate adminiſtrabuntur, ſtudium erit, vt rerum ſacrarum domus pretioſis veſtimentis, ijſque non paucis locupletetur, atq; ornetur. Qui pietate præſtabunt, eorum hæc fidei committentur.

mittentur. Aedes ſacræ, Aræ, Sacella munificentius reſtientur, perpolientur, ornabuntur: id quod in primis decet, atque hæc cura erit præcipua ſemper. Nimij apparatus è Canonicorum Celiis auferantur, transferantur autem ad cultum Dei, & ad magnificentiam, & ſplendorem Eccleſiæ.

Sita eſt ſalus veſtra in hoc in primis, vt malum fugiatis, amplectamini bonum. Malum eſt, cum Canonicus aulicam viuit vitam, & quodam ſeruitutis genere venatur ſtudia potentiorum: Deum autem deſerere, cui diuinus cultus debetur, non decet. In Aulis principum diſcitur ambitio non religio: aſſentatio, non orandi ratio; vt alteri inuideatur: vt tendantur inſidiæ, non vt æternæ vitæ ſalus comparetur.

Video quiddam (inquit Diuus Pater Bernardus, Homil. 4. ſuper Miſſus eſt) quod ſine dolore videri non debet. Poſt aggreſſam Chriſti militiam rurſus implicari ſecularibus, rurſus terrenis cupiditatibus immergi. Cum magna cura erigere muros, & negligere mores: Sub prætextu quoque communis vtilitatis verba vendere Diuitibus, & Matronis ſalutationes, ſed & contra ſui Imperatoris edictũ concupiſcere aliena, & ſua cũ lite repetere: ita nec ſe mundo, nec ſibi mundũ crucifixerunt: vt qui ante vix in ſuo vico, vel oppido cogniti fuerunt, modò circumeuntes Prouincias, & curias, frequentãtes Re-

gum notitias, Principum familiaritates aſſecuti ſunt.

Malum eſt à bono alienum; Studioſè munera ambire, & Præfecturas, vt pecuniam tractent, agant cum Laycis. ſic enim interit religio, & animus à Deo, diuiniſquè rebus ab alienatur. Fœlix domus, & beata ſemper Cõgregatio (inquit D: Bernardus in quadam Epiſtola) vbi de Maria Martha conqueritur: nam Mariã Marthæ æmulari, indignum prorſus eſt. Latro eſt (dicit D: Hieronymus ſuper Matth.) & domum Dei conuertit in ſpeluncam latronum, qui lucra de Religione ſectatur, cultuſquè eius, non tam cultus Dei, quàm negotiationis occaſio eſt.

Malum eſt à bono alienum, malle ruri vitam agere, & in locis à Cœnobijs ſeiunctis, vt maiorem quis nanciſcatur viuendi licentiam, & clauſtrales leges fugiat. Sed his allatis exemplis, ſatis eſt indicaſſe, quid ſit abſtinere ſe à malo, & bono adherere. Reliqua vnuſquiſque veſtrum per ſe optime intelligit.

Sita eſt in eo charitas erga proximum, vt eum re adiuuemus, conſolemur verbis. Per hanc neceſſaria omnia parabuntur, ſine vllo perſonarum diſcrimine veſtris fratribus, in Cœnobijs, in itinere, in ægritudinibus. Cœnobio Cœnobium feret opem, ſic enim verè ex omnibus vnum fiet corpus. ſic in Regula ipſa legitis: Diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentũ

ſicut

ſicut opus fuerit. Per hanc libenter ſacramentum pœnitentiæ in Templo exercebitur, quod, vtquam optimè fiat, libris hac de re agentibus nauanda diligens operà fuerit: Contiones habebuntur: præcepta tradentur. quæ munera omnia digna ſunt, & propria Canonici Regularis.

Multa in pauperes liberaliter erogabuntur (vt veſtræ Congregationis mos ſemper fuit) decet enim meminiſſe, quæ bona vobis ſunt, ex eleemoſyna prouenisſe omnia. Hæc tria ſunt charitatis offitia, quæ animæ alas adnectunt, quibus (ſi fiat, vt ſuauis diuinæ gratiæ aura perflet) volatum vſque ad Cœlum feliciter explicat.

Hæc eſt vita à D: Bernardo in quodam ſermone præcepta. Tu, qui in Congregatione es, bene viue, ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi: ſociabiliter proximo: humiliter Deo.

Sit igitur amor veſter in Chriſto poſitus, in vobis retineatur, communicetur alteri; Hocque minime ſit dubium, dum amor veſter in Chriſto collocabitur, periculum nullum fore, vt vobis ille ab iniquo ſerpente eripiatur. Dum eundem in vobis ipſis conſeruabitis, otioſa vos Accidia non aggredietur, quæ pijs actionibus impia eſt aduerſaria. Dum proximo impartiemini, expelletis inuidiam peccatorum omnium præcipuum peccatum, quo Demon primum parentem ad Diuinam Maieſtatem offendendam impulit.

PRÆCATIO.

BB.SS. *O Sancte Ioannes, in quo eſt gratia, in quo Chriſtus delitias ſuas poſuit, impetres nobis, quæſumus, tua interceſſione hunc ſanctum charitatis ignem, vt Ieſu Chriſto tuo, ac noſtro Magiſtro grati, & accepti eſſe valeamus.*

R.S. *At vos memores interea fueritis, Filij cariſſimi, Cœleſtem illum Parentem nõ modò nobis præcipere, vt amicos, ſed etiam vt inimicos diligamus, eiſquè benignè faciamus, pro eiſquè oremus. Cuius rei nobis ipſe exemplo fuit, qui ſumma humilitate Iudæ pedes lauit, poſteaquã inimicum ſibi nouit eſſe factum, eundemquè in cœna, & corpore, & ſanguine ſuo pauit. Qui pro illis, à quibus in crucem ſublatus eſt, Patrem ſuum orauit. Quapropter hinc diſcedemus, &c.*

4.Ecc. *IN AGRVM SESSORIANVM, AD BASILICAM S: CRVCIS IN HIERVSALEM.*

PRoficiſcemur. Ibi meditabimur donum pacis, quam ſit magnum, & ea animaduertemus, quæ hanc tantam virtutem ex Conuentu veſtro poſſint expellere.

DE

DE PACE.

NON pacem tantum coluerunt Romani veteres, ſed Paci etiam Tēplum condiderunt magnificentiſſimum. Pax eſt finis philoſophiæ, & moralis, & chriſtianæ. Vbi ſtudioſi pacis degunt, ibi pax regnat nitidiſſima, aurea tranquillitas, immo ipſemet Deus, qui pax ipſa eſt, atque ipſa tranquillitas. Dauidicus enim vates conſtituit domicilium ſuum in medio pacis, aitque. Sanctus eſt in pace locus eius. Quamobrem autem Hieruſalem in ſacris litteris Dei ciuitas appellatur? cur Eſaias dicit. Hieruſalem ciuitas ſancti? niſi quod cum ipſum hoc nomen viſio pacis interpretetur, ſignificat, Deum nullum aliud habere domicilium, nec quietem vllam niſi in animis ijs, qui ad pacem, & tranquillitatem ſpectāt? Profectò Dominus Ieſus Chriſtus nullam aliam ob cauſam ſeruos ſuos beatos, & felices nominauit, dicens, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Veriſſimũ, ac ſanctiſſimum fuit illud Platonis Elogium, cum deſcripſit hominem animal eſſe quietum, & mite. Non enim melius oſtendere poteſt homo, quid ſit, quàm hanc affectionem aperire, ideſt quietem, & humanitatem, ad quàm à natura eſt procreatus. Idcirco Ariſtoteles in primo Politicorum, dixit, hominem natura politicum eſſe

animal,

animal, & ciuile. Quo ornamento, quo decoro ſunt animi pacifici Reipublicæ, & Religioni? Vt nihil fœdius, nihil horribilius ſpectari poteſt: quam Cœlum vndique obſcurũ & caliginoſum; ſic cum ſerenum eſt, & pacatũ vndiq;, nihil illuſtrius, nihil pulchrius, nihil ſpectabilius. Vtquè nox ſuis tenebris, & cecitate parens eſt horroris: Cum vero Luna lucet, errantium animos lætitia, & gaudio replet. Vt Mare turbinibus agitatum, ac importunis tempeſtatibus turbatum ſpectantibus metum, ac terrorem incutit maximum; cum verò ſedatum eſt, & tranquillum, fluctibus hinc inde quieſcentibus, faciem offert oculis ad intuendum iucundiſſimam: Ita nihil cerni pulchrius poteſt Republica, & congregatione illa, quæ amoto diſcordiarum velo, æquè atque in aurea Scena cernuntur animi tranquilli, quieti, pacifici, ac ſereni. Propterea Plato in lib. de Repub. ſuaſit ciuium concordiam ad defenſionem, & præſidium totius ciuilis corporis.

Hac vna pace, quæ armonia magis conſonans, ac ſuauis poteſt reperiri, cum omnes cantores vna, & concordi voce ſanctiſſimum, ac feliciſſimum hoc pacis nomen concinunt? Quæ ciuilis communio ſpectari poteſt gratioſior, quàm in conuentu hominum pacis ſtudioſorum viuere, qui beatorum delitias animabus afferunt? Hinc Diuus Auguſtinus in tract. de verb. Domini. cum pacem laudaret, dixit. Pax Serenitas mentis, tranquilli-

tas animi, ſimplicitas cordis, amoris vinculum, conſortiũ charitatis. Hinc Dauid. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quid aliud vitam æternam tam beatam, & felicem efficit, niſi hæc pax, qua Beati illic læti perfruuntur? Ob hoc dixit Eſaias. Sedebit populus meus in pulcritudine pacis. declarans, pacem beatorum in hac pulcritudine pacis ſitam eſſe. Et D. Paulus rectiſſimè. Non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia & pax. Hac ratione regnum Salomonis exiſtimatum eſt feliciſſimum, quia rex fuit pacificus, & regnum in pace adminiſtrauit, quàmdiù regnauit. Hinc Boetius. O felix hominũ genus, ſi veſtros animos amor, quo cœlum regitur, regat. Hinc Ioſeph hebreus duxit Herodis domum Infernum eſſe, quia nunquam pacem exercuit, neque cum vxore, neque cum liberis, neque cum nepotibus, neque cum ſeipſo. Si Dei vocantur filij, qui pacem faciunt, inquit D. Gregorius in moral. proculdubio Satanæ ſunt filij, qui pacem cunfudunt.

Pax inter Canonicos veſtros non modò retinebitur, & augeſcet vna cum cæteris virtutibus, ſed ſumma etiã, atque incredibilis fiet acceſſio. Si (vt dicit Beatus Hieronymus in quadam epiſtola) ſtudueritis eos in Congregatione tamquam columnas erigere, quos plus cognoſcatis Congregationi prodeſſe, non quos, vel ipſi ametis, vel quorum ſitis obſequijs deliniti, vel pro quibus maiorum

quiſpiam rogauerit: & (vt deteriora taceam) qui vt prælati fierent, muneribus impetrarunt.

Religioni, dicit D: Gregorius Nazianzenus in orat: cum reuerteretur ex agro, opprobrium naſcitur, quòd miniſteria ambitione potius, & gratia, quàm meritorum iuditio deferuntur. Sicut is (dicit D. Gregorius Papa) qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admouendus: ſic qui vltrò ambit, vel importune ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus.

Pax inter vos fuerit, ſi imperium ad ſua commoda non referant Præfecti, & vt acceptas iniurias vlciſcantur; & odia in alterum concepta ad eius pernitiem tamquam lethale virus euomant, ſed vt malos mores curent, & prauam emendent vitam.

Si non libenter ſint extra monaſterium, aut ruri, aut in locis Congregationis voluptatis gratia: ſed die ac nocte in choro, in Templo, in Refectorio, & vbicunq; ſit opus obſeruantiæ ſtudio vna cum ſuis fratribus viuant, qui primi in omni actione obeunda ad parendum eſſe debent. Quid iniquius (dicit S. Pater Auguſtinus lib: de opere monachorum) quam velle ſibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare maioribus? Si Cæſar ille Romanus ſuis dicebat; agamus, non agatis, cur hoc idem Præpoſitus inter uos cum ſuis fratribus in quauis re non præſtabit? in quouis loco non faciet? hoc exemplo Chriſtum

Dominum imitatus, qui cepit prius facere, & poſtea docere.

Si miniſtrent ipſi, non ſibi miniſtrari ſtudeant. Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.

Si Præſides bonitate, ſi morum ſuauitate, ſi lenitate præſtabunt, atque humilitate ſimul, quòd eſt humilitas perpetua, atque indiſſolubilis doctrinæ coniunctio, & virtutum omnium fundamentum. Hæc eſt Magnes, filij dilectiſſimi, quæ ad ſeſe attrahit animos ad ſui beneuolentiam, quæ non ſinit eos, niſi pietatis oculis inſpicere. Per hanc exercent ipſi iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, in aliorum cordibus amorem, pacem, & concordiã, vnde felicitas veſtra emanat. Suas in cæteros animi affectiones transferentes, vt Chamaleon in ſe colores earum rerum, quas oppoſitas habet.

Ita ita filij innocenter viuendo, & cum virtute agendo dignitatum gradus comparantur, quæ nec poſſunt eſſe, nec præclariores, nec maiores, nec iuſtiores, quàm ſi ab vna virtute deriuentur.

Pax vigebit ſemper inter vos, quoties honeſtæ, & glorioſæ actiones ſuis præmijs decorabuntur, in quemque pari ſtudio collatis.

Cum, qui humana tractant, obſeruabuntur: qui vacãt diuinis, & bonitati ſtudent, diligentur: colentur pij: ſtudia excolentes efferentur: ſenio confecti curabuntur: magi-

ſtratibus obſequentes omnes erunt: cum denique omnes vnius legis fræno cohibebuntur (ita tamen, vt Litteratorum dignitas nullo modo contemnatur, qui & loco, & litteris, & virtute, quæ gloriam, vt Aurora ſolem antecedit, præſtant). Sunt ij præterea æqua ratione accipiendi, ſpectata meritorum præſtantia, & æqualitate, vt tempora, & loca poſtulant, haud ægrè ferentes, eos ea perfrui gloria, quàm ipſi, virtute duce collegerunt.

Boni item æquè, ac litterati liberalitate, & gratia amplexentur. Mali verò lenitate quadam, & charitate corrigantur, nullam captando voluptatem ex afflictis eorum rebus, & ex irrogata pœna, ne Loth coniugem imitari videamini, quæ quia retrò aſpiciens ſceleſtorum calamitate delectata eſt, in ſtatuam ſalis eſt conuerſa. Non enim ciues malorum ſupplicijs, ſed bonorum præmijs boni fiunt.

Cupitis ne, ut vno verbo, ac liberè cōplectar, vt pax vera in cœtu veſtro futura ſit? Cum verè pauperes eritis, vt Euangelica lectio Chriſti edocet, ac vt vos ipſi voti cauſa polliciti eſtis: loquar igitur hæc de paupertate paulò accuratius, cum Sanctam Crucem in hoc Templo piè colueritis.

PRAE-

PRÆCATIO.

DOmine Ieſu Chriſte fili Dei viui, te ſupplices deprecamur, vt, quemadmodum naſci voluiſti, mori, & reſurgere noſtræ vtilitatis gratia: ita tua ſancta vulnera Patri tuo aſſiduè oſtendendo, digneris primum nos cum eo in gratiam reſtituere, deinde nos inter nos cõcordi animorum quaſi concentu conciliare, vel potius conciliatos retinere. BB.SS.

Iã iter faciamus. IN AGRVM VERRANVM R.S.

AD BASILICAM S: LEVITAE LAVRENTII. 5.Ecc.

QVI tantopere dilexit pauperes, vt ijs theſauros Eccleſiæ diuiſerit.

DE PAVPERTATE.

VT igitur omnes diſcordiæ, diſceptationes, inuidiæ, offenſiones ex ſuperbia, ambitione, & ex nimio commodorum appetitu, pompæ ſæcularis, clientelarum, & humanæ laudis amore: ita ex paupertate præſertim ſpiritus, omnis quies, omnis pax proficiſcitur.

Ad perfectionem Religionis, inquit Cæſarius in admo: 25. pertinet ſubiectione, & abiectione gaudere, paupertatis ſtudium quærere, & non ſolum facultates, ſed etiam voluntates de cordibus extirpare. Nihil enim habere, interdum neceſſitatis eſt; nihil autem cupere, eſt virtutis.

Multi, inquit Hieronymus in Epiſtola ad Heliodorum, ſunt ditiores monachi, quàm fuerant ſeculares, & ſub Chriſto paupere opes poſſident, quas ſub Diabolo locuplete non habebant. Suſpiret ergo eos Religio diuites, quos mundus habuit indigentes. Quod & Sanctus Pater Auguſtinus in Regula ſua optimæ demonſtrat, dicens; Nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant: Sed ſurſum cor habeant, & terrena bona non quærant, ne incipiant monaſteria eſſe diuitibus vtilia, non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Sicut Aues, quæ non congregant in horrea, neq; metunt, ſed ſolum diuinæ prouidentiæ ſe ſubmittunt, ſolent ſurſum aſcendere, & volare, & Cœlo, & cœleſtibus appropinquare: Sic proculdubio Religioſi, qui more auium, à terrenorum Congregationibus abſtinent, & qui in prouidentia Dei ſperant, melius ad cœleſtia per deſideria volitant, & ſurſum per contemplationem habitant, iamquè Deo, cœlo, & Angelis quantum eis eſt poſſibile, ſe præſentant. Habent enim

Aues pennas interius vacuas, & concauas, & ideo propter aeris incluſionem leuiores efficiuntur, & ſurſum facilius efferuntur. Sic proculdubio Religioſi pennas affectionum habentes vacuas per voluntariam paupertatem, concauas per occultam humilitatem, plenas aere diuinæ gratiæ per virtutum excellentiam, facilè quidem eleuātur ad cœleſtia amanda, & contemplanda, ibiquè ſine difficultate leuabuntur ad ipſa tandem obtinenda.

Beatos Chriſtus prædicauit pauperes, ipſorumquè regnum eſſe cœlorum. Beatus enim eſt, cui nihil deficit. Cum igitur iſtis pauperibus ſufficiat ſtatus ſuus, nec in mundo ſit aliquod, quod deſiderent, cum ſolum eorum ſit deſiderium, de temporalibus nil habere, vel ſaltem nil diligere, vel amare, bene videtur paupertas ipſos facere beatos, & per conſequens tranquillos, placidos, & quietos.

Beati dicuntur pauperes, & Regni cœlorum poſſeſſores, quia ſicut parui, & tenui vapores ſolent facilè ſurſum eleuari, & etiam à Solis, & Ignis influentia inflammari, ſic verè pauperes, & tenues ad Deum, & ad bona æterna per bona deſideria ſe eleuant, & in æternorum amore per affectionis incendia ſe inflammant.

PRÆCATIO.

BB.SS. IMpetres Tu nobis Beatæ Laurenti à ſuperno Patre, vt, contemptis diuitijs, & compreſſo earum appetitu, paupertatem ſibi cariſſimam amemus, & colamus, vti bonos Religioſos decet, cuius beneficia quæ ſint, Tu es expertus, qui tum alijs de cauſis, tum de hac præcipua in Cælo felix viuis. Si fiat; ex paupertate cæleſtes theſauros capiemus.

R.S. *A paupertate ad puritatem tranſeamus IN*

6.Ecc. *MONTEM AESQVILINVM AD BASILICAM ILLAM*

QVAE cādidiſſimæ niuis miraculo præter anni tempus è Cœlo demiſſæ, Deiparæ Virgini constructa,

SANCTA MARIA MAIOR, nuncupata eſt.

DE CASTITATE.

QVAM bene vos (filij amantiſſimi) decet puritas, pudicitia, modeſtia, honeſtas, quæ omnia pro-

feſſi

feſſi eſtis nomine Caſtitatis? hæc mandat Regula Diui Patris veſtri Auguſtini. Oculi veſtri, & ſi iaciuntur in aliquam fœminam, figantur in nullam. De his veſtræ Conſtitutiones copiosè agunt. Hac de cauſa haſce veſtes interiores geritis candidas, quas niger amictus tegit deſuper, vt illis animi candorem indicetis intus latentem. hoc verò eiuſdem manſuetudinem foris patefaciatis: Iudicandum profectò non eſt, nec iudicari poteſt de alterius puritate cordis, ac mentis: Dari autem debet, ac poteſt opera, vt publicè oſtendatur.

Pudicitia eſt virtus, vt docet Seneca de quatuor virtutibus, non ſolum impetum libidinis coercens, ſed & ſigna cohibens. Et Pater Auguſtinus in Regula. Non vos dicatis habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius.

Candidati igitur in Præceptorum diſciplina contineantur, qui & ſint eruditi, & boni, ſaltem ad illud tempus, quo Diaconatus ordine initiantur, hunc quidem non ignoratis morem fuiſſe maiorum veſtrorum, eos habere magiſtris addictos, donec prima ſacra Deo ſolenni pompa obtuliſſent. Hac quidem ratione modeſti, mites, honeſti in perpetuum erunt. Adoleſcens enim iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.

Tollatur in veſtitu nimia elegantia, obſeruetur decentia, quæ in Regula notatur. Non ſit notabilis habitus

veſter,

veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Quatuor ſunt in habitu Religionis notabilia ſecundum Hugonem de clauſtro animæ. lib. 1. ſcilicet, vilitas, & ſuperfluitas, paucitas, & precioſitas. In vilitate vanagloria, & ſimulatio: In precioſitate ſuperbia, aut delectatio: In paucitate, intolerantia, ſeu deſperatio: In ſuperfluitate verò amor ſeculi, non amor cœli, amor palatij, non paradiſi notatur. Qualis debet eſſe Religionis habitus oſtendit Apoſtolus Timotheo dicens. In habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe. Sed hodie inquit Hugo, Cappa canonici, & Cuculla Monachi non differunt à palio militis, ſed vt ait quidam ſapiens, miles & monachus ex eodem panno partiuntur: Ille ſibi cucullam, iſte chlamidem. Non multum differunt habitus Canonici regularis, & ſecularis. Sed ſi fortè regularem videas, Epiſcopum, vel Patriarchã te vidiſſe contendas. Curet igitur Præfecti veſtes Canonicis religioſo ornatu conficiendas, ne ipſi ſe, vt libet, ac volunt, induant. Obſeruetur què de veſtiendi ratione, & quod pater Auguſtinus præcipit in Regula, & quod mandat conſtitutio veſtra, quidquid denique Religioſi Patres hac in re præcipuè ſanciunt.

Caſtitas quædam eſt ſpecialis virtus Religioſorum. Vnde S. Iacobus Apoſtolus in ſua Canonica. Religio munda, & immaculata apud Deum hæc eſt immacula-

tum ſe cuſtodire. Sicuti Apes, quæ communiter in eodem alueari morantur, perpetuam caſtitatem ſeruant, nec immundas, aut fœtidas ſedes libenter viſitant, aut frequentant: Sic Religioſi perpetuam debent ſeruare caſtitatem, immundaque & carnalia fugere, nec ſe vnquam per carnis vitium maculare: hæc ex Diuo Ambroſio libro ſuo de Virginibus. Audiatur ſenior ille Hieronymus in quadam Epiſtola. Quacunque virtute polleas, quibuſcunque operibus niteas, ſi cingulo caſtitatis carcas, omnia per terram trahes.

Obſeruemus Caſſiodorum ſuper Math. nos docentem, ſex eſſe, quæ incorruptam cõſeruant caſtitatem. Hæc ſunt, ſobrietas, operatio, aſperitas cultus, inhibitio ſenſuum, raritas ſermonis cum honeſtate, euitatio opportunitatis, & perſonæ, & loci, & temporis. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate, inquit ſapiens, immortalis eſt enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines.

Qui apud veteres hæbreos in Templo volebant miniſtrare, fœminalibus lineis pudenda tenebantur velare. Fœminalia vtique caſtitatem, & pudicitiam deſignabant.

Qui apud Romanos, ſacerdotes erant Deæ Cybeles, quæ dicebatur mater Deorum, neceſſario caſtrabantur, & tenere caſtitatem perpetuò tenebantur.

Nauis tempeſtate iactata portum quærit, & viri pudici anima expetit ſolitudinem. Vt enim illa fluctus máris naufragium minitantes fugit: Ita hæc mulierum aſpectus, perniciem afferentes, vitat. Ac reliquæ quidem virtutes, inquit D. Baſilius in regulis, cum in occulto exerceantur, minus ſæpè illuſtres apud homines exiſtunt. Continentia, in quo ineſt, eũ vel primo ipſo aſpectu tantum notum facit. Ut enim optimus corporis habitus, & coloris bonitas pugilem à cæteris diſtinguit, ſic religioſum à cæteris macilentia corporis, pallorquè deflóreſcens, qui continentiæ veluti adiunctus eſt comes, inditio eſt, eum Chriſti mandatorum verè pugilem eſſe, qui in infirmitate corporis aduerſarium ſuum in lucta proſternat, & quàm potens ſit in pietatis certaminibus declarat conuenienter Apoſtolus in verbis illis, Cum infirmor, tunc potens ſum. Oportet igitur, Filioli, Vos Religioſos altaribus, ac ſacris addictos, pietate, & omni munditia ita ornatos eſſe, vt à vobis præclarum operum bonorum exemplum populi petere poſſint, & cælibes etiam exiſtere: Nam cum cœlebs dicatur, quòd cœlo dignus ſit, quia coitu careat, quis eſt tàm amens, qui à libidine breui tempore abſtinere nolit, vt cœlo ab omni æternitate frui queat?

PRÆCATIO.

PVriſſima, ac ſanctiſſima Dei Mater, & Virgo Maria nobis à filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto hanc exores gratiam, vt neminem neque re, neq; verbo impuritatem redolente offendamus, vt cor & corpus caſtum, ſincerumquè geramus ſemper, vbi ſanctiſſima Trinitas ſuum perpetuò locauit domicilium. BB.SS.

Confectum iam propè eſt iter. Vna tantum Baſilica reſtat inuiſenda. Hic ne quæſo, ſpernamus Syxti Quinti Summi Pontificis benignitatem, qui quòd Diui Sebaſtiani Templum longius abeſſet, eius loco piorum hominum commodo ſeruiens. R.S.

SANCTAM MARIAM POPVLI IN POPVLI VIA DELEGIT. 7.Ecc.

CAeterum vt ego inceptum bene ſermonem concludam, hoc vnum commemorare debeo, communem ſcilicet vitam. ideſt Apoſtolicam. quod vitæ genus religioſum eſt, & Canonicum.

DE VITA COMMVNI.

HOc vno quidem nullum eſt inter vos diſcrimen, nullum imperium, nulla ſeruitus. Nemo eſt maior, nemovè minor. Sunt labores communes; munera communia; offitia in choro, & in Templo; preces communes; communes reddıtus.

Donec Romæ Reipublicæ ſtatus floruit, imperauit Orbi. cum ad paucorum eſt redactum regimẽ, amiſit imperium: Sic apud vos, dum viuẽdi ratio communis erit, Canonici fueritis nobiliſſimi: dum aliquorum præcipua; Has ſacras veſtes exuere oportebit, & clauſtrum deſerere. Apes commune habent domicilium, commune exercitium, communem cibum, communem regem & dominũ.

Vita partialis ſemper habet aliquid de hypocriſi, vel de vanagloria intermixtum.

Vita communis Religionis cuicunque profectò ſatis eſt ardua, & cuicunque infirmo ſatis eſt congrua. Eſt quidem vita veſtra, vt dicit Hugo de clauſtro animæ lib. 1. Abundans pauperi, mediocri ſufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus miſericors, peruerſis ſeuera, bonis optima. Non dicatis itaque ſecundum Regulam aliquid propriũ, ſed ſint vobis omnia communia. Et omnia opera veſtra

in commune fiant maiori ſtudio, & frequentiori alacritate, quàm ſi vobis propriè faceretis. Quando proceditis ſimul ambulate, cum veneritis, quo itis ſimul ſtate. Longè à vobis diuerſitas lauti victus, diſſoluti geſtus, curioſi habitus, amœni cantus, & omnis ſuperflui actus. In inceſſu, in ſtatu, in habitu, in omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

Faxit Chriſtus pro communi omnium ſalute à Deo Patre miſſus, & ad necem pro totius mundi vita, communiq; cauſa boni damnatus, vt inter vos cõmune illud deſiderium retineatur diuinæ inſeruiendi maieſtati, vti decet, commune ſtudium Religionis, communis dignitas collegiorum veſtrorum, communis obſeruantia, & fidelis rerũ, honorumquè partitio, cõmunis fraternitas, & amor.

Hac in re vnum remedium eſt, vt Magiſtratuum auctoritas, vel nimia potius licentia coerceatur: Auferatur auaritia, & factionum ſtudium à Præfectis. Sed his de rebus taceamus.

Vos autem omnes filij dilectiſſimi, ſtudeatis pro viribus, vt hæc, quæ à me commemorata ſunt, fiant, de Obedientia, de Studijs, de Charitate, de Pace, de Paupertate, de Continentia, de Communi vita, & alia, quæ vobis ſeſe offerunt ad gloriam Dei, & ſalutem animarum ſpectantia, corporis etiam commoda.

BB.SS. *Iam iſtæ ſunt partes Illuſtriſſimorum Protectorum in his rebus auctoritatem ſuam omnem collocare, & muneris ſui gratia, & dignitatis. Quod (ni ſpetie boni à falſis, & malignis Fratribus decipiantur) ipſi quidem prorſus efficiunt.*

In primis verò, & nouiſſime ad te attinet Saluator Mundi hanc viuendi rationem verè Religioſam, verè Canonicam ſuſtinere, atque nos tui Sancti Spiritus lumine illuſtrare, ne hæc familia honeſtiſſima tuo auguſtiſſimo, ac maximè ſalutari nomine ſit indigna. ſed à te amata ſemper, à te perfecta, à te ſemper defenſa, adiuta, & aucta.

Vos Præterea Sancti Patres noſtri Ordinis, qui æuo ſempiterno in Cœlo beati perfruimini, pio, quæſo, lumine inſpiciatis nos filios veſtros, etſi multis in rebus à veſtra bonitate, virtute, ſanctitate maxime degeneres.

Vos apud Sanctiſſimam Trinitatem ſupplices pro nobis contendite, vt nos ad optimam uitæ rationem deducat; vt facti veſtri ſimiles, ac eandem, quam vos bene, ſanctèque viuendi normam ſectantes, poſſimus aliquando in cœleſti vos regno felices inuiſere, atque vna vobiſcum æterna gloria in Cœlo perfrui. Amen.

R.S. *Domine Deus virtutum, qui collapſa reparas, & reparata conſeruas, auge bonos ſpiritus in tui nomini ſanctificatione congregandos, vt omnes, qui hoc ſacro ha-*

bitu Canonico induentur, tua ſemper inſpiratione dirigantur.

Venite filij reducam vos in Eſquilias ad Cænobium veſtrum, vnde poſtquam laſſitudinem ex itineris labore ſuſceptam refecerit paululum ocij, alteram aggrediemur peregrinationem, in qua de fideli Economia, vel de inculpabili adminiſtratione bonorum temporalium vobiſcum maximè loqui percupio.

F I N I S.

REGISTRVM.

*ABCDE.

Omnes ſunt Quaterniones.



FERRARIAE,

Apud Benedictum Mammarellum.
MDXCII.

Superiorum permiſſu.

860304

Digitized by Google